

1822.

1. Blavier, Ed. Argumentationes circa quosdam propositiones.
2. Boudet, J. A. De pneumonia vera acuta.
3. Franosmann, P. P. F. De febre catharrali.
4. Hahn, H. J. H. De relationibus quibus organa nostra inter se et cum corporibus circumspicis connectuntur.
5. Livron, L. M. C. De abortu.
6. Mulder, B. de De erysipelate.
7. Pave, Th. De rabie canina.
8. Van de Lype, J. B. De rheumatismo acuto.

1823.

9. Bauwers, E. Fr. De peritonitide.
10. Vander Burgh, E. W. De lithiavi renali.
11. Debeil, C. De inotinctu.
12. Hellebaut, L. F. De phrenitide.
13. Van Helstrandt, L. B. F. Effectus ex artificialibus sanguinis missionibus oriundus.
14. Latour, J. De natura physica et moralis ratione aetatum atque sexuum.
15. Ruedder, P. J. de. De percussione et stethoscopio.
16. Stalins, P. De apoplexia.
17. Vande Velde, A. De hydrocephalo acuto primario.
18. Fulker, P. de. De costulae fractura et curativa methodo.

1824.

19. Buck, L. de De hydrocele.
20. Callenfels, G. Th. De fame et siti.
21. Castormann, L. De viribus naturae.

- 1824.
22. Depelchin, L. De cystitide acuta.
 23. During, B. A. Momenta quaedam quibus febrilis mucosa ab ulcera
sa distingui potest.
 24. Guinard, J. B. De quibusdam arteriarum proprietatibus.
 25. Lados, A. C. De metrorrhagia gravidarum.
 26. Lantohere, J. E. De aortide chronica.
 27. Mar, L. A. de De argina.
 28. Neoter, C. L. de. De actione encephali.
 29. Oevaere, J. De morte naturali et accidentali.
 30. Verheyweghen, C. De digestionem.
 31. Verhaelt, H. J. De tinea.
 32. Windt, J. B. de De hepatitis acuta.
 33. Woets, A. De educatione physica neonatorum.

DISSERTATIO

PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

*Relationibus quibus organa nostra inter se, et
cum corporibus circumfusis connectuntur,*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FRANCISCI ÆGIDII VERBEECK,

Chir., et Art. Obstetr. Doctoris, Anatom. et Physiolog. Professor. ordin.,

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATÛS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÈ AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Henricus-Josephus-Hubertus Hahn, Aquisgranus,

Die 23^a Julii MDCCCXXII, horâ XI^a.

GANDÆ, TYPIS P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,
VIA HOOGPOORTE N^o 37.

1822.

DISSERTATIO

PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS

Relationibus quibus organa nostra inter se, et
cum corporibus circumstantibus, connectuntur.

AVVUNTE SUMMO AVVUNTE

FRANCISCI EICIDII VERBECK

Magister Artium, Doctoris, Anatomiae et Physiologiae Professor

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE SECTIO

PRO GRADU DOCTORATUS

IN ACADEMIA GANDAVENSIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUESTURIS

Georgio-Johanne Frederico (Friedrich) Adolpho

The 21st of MDCCLXXII, part VII

GAZDARZTUW P. W. DE GOSZIN Y. HANARONA. ACADEMIA TYBORNSIS

1832



L. S.

Quas mihi comparari opiniones physiologicas
et medicas principales, tum praestantissimas
illustrium hujus Universitatis Professorum profes-
sus maxime secundo, tum maxime pri-
mario.

PATRI OPTIMO, CARISSIMO

SACRUM.

pluribus quam solent, de re non dubia et
certa impudenter dicit. De re non dubia et
certa non dubitavit, sed proposita penitus assensu, iustis
rationibus, laudis proceris honorumque summis
et cetera ordine expressit.

PATRI OPTIMO, CARISSIMO

SACRUM



L. S.

Quas mihi comparavi opiniones physiologicas et medicas principaliores, tum præstantissimis illustrium hujus Universitatis Professorum prælectionibus studiose vacando, tum perlegendo principes de re medicâ scriptores et præcipue immortalem BICHATUM, ordine hîc exponere in animo mihi fuit. Ad hunc finem argumentum mihi eligendum erat, quod latissimum dicendi campum offerret, et cujus informatio multo quidem amplior esset quam usitatam dissertationis inauguralis amplitudinem deceat. De re tam amplâ et tanti momenti multa sane adhuc dicenda silentio præterivi; sed propositum penitus assecutus fuero, si opiniones, futuræ praxeos fundamenta, concise et accurato ordine exposuerim.

Quas mihi comparavi opiniones physiologicas
et medicas principales, tum præstantissimas
Illustrationibus huius Universitatis Professorum prælec-
tissimorum prælegendo prin-
cipales et præcipue immor-
tali exponere in animo
argumentum mihi est
inveniri dicendi campum
offerret, et cupis unquam nullo quidem an-
teriori casu quam vestram dissertationis inaugu-
ralis ampliatum deest. Et re tam ampla et
tanti momenti multa sane adhuc dicenda silentio
præteriri; sed propositum penitus assensu fieri,
si opiniones, huius præces fundamentis, concise
et accurato ordine exponerem.

Les corps inorganiques agissent sans cesse sur
eux (les corps vivans); eux-mêmes exer-
cent les uns sur les autres une action
continue; bientôt ils succomberoient
s'ils n'avoient en eux un principe per-
manent de réaction.

BICHAT, *Recherches sur la vie et la mort.*



DE RELATIONIBUS QUIBUS ORGANA NOSTRA

Inter se et cum corporibus circumfusiis conjunguntur.

INTRODUCTIO.

OMnia quæ exstant corpora consideranda sunt, quasi variæ unius cujusdam *totius* partes; quod verum apparebit, si quis ad miram illam inter diversa, quibus circumdamur, phenomena harmoniam et consensitaneitatem sese converterit.

Quum multæ partes ad unum idemque sunt institutæ, cum partes istæ non nisi causâ *totius* existunt, *totumque* vicissim partes suas protegit atque conservat, tunc dicitur *totum* illud esse *organicum*. Partium complexus dicitur *organismus*. Quemcunque observaveris organismum, leges reperies, quibus partes inter se, *totum* vero cum partibus hæreant atque communicent.

Mundus nihil aliud est nisi immensus organismus. Quibus conserve-
tur legibus, hoc sibi explicandum vindicant scientiæ physiciæ.

Sub nomine tamen corporum *organicorum* complectimur seriem corporum terrestrium, quæ non iisdem, quibus reliqua natura, legibus regi videntur. Sunt nempe animalia et vegetabilia. His revera corporibus organisatio quædam est singularis, legibus tenentur peculiaribus, et modo existendi fere individuo gaudent. Plantam quamlibet vel animal cum minerali conferas. In illis multæ partes, licet aliæ ab aliis diversissimæ, arcte tamen inter se et cum *toto* suo conjunguntur; at multo minus cum reliquo mundo. Econtra mineralia connectuntur cum cæteris corporibus creatis similibus omnino legibus, quibus ipsorum partes inter se cohærent. Multa alia, nec minus notatu digna, disci-

mina præstat physiologia. Attamen CURTIUS SPRENGEL, nec non alii multi inclyti physiologiæ cultores contendunt nullo certo ac præciso limite mineralia a corporibus organicis discerni; nullumque in naturâ fieri saltum. Sed tali non possis corpora quotquot comprehendere concatenatione, quæ nullam intermissionem patiatur. Ipse quidem cl. BONNET, qui systema de corporum nexu sagacissime defendit, fatetur corpora organica inter et inorganica non nisi subitam atque infelicem esse transitionem (1).

Corpus quodcumque organisatione individuâ præditum, brevem tantum et certis limitibus circumscriptam habet existentiam, quâ finitâ partes, quibus compositum fuerat sese dissolvunt et secundum leges chemicas aliam ad effigiem componuntur. Inde liquet eas non antea secundum leges chemicas fuisse compositas. Complexus omnium phenomenorum, quæ intra brevem hanc existentiam locum habent, dicitur vita.

Qui vitam in omnibus corporibus organicis fuerit contemplatus, cuncta videbit in duas facile classes, alteram vegetabilium, alteram animalium, divisa. Priorum tamen transitio ad posteriora fit admodum gradatim; nulli præcisi limites inter ea a naturâ constituuntur.

Eadem in animalibus quæ in vegetabilibus, phenomena conspiciuntur. Aluntur, crescunt, propagantur, intereunt. Ast aliâ præterea serie phenomenorum longe diversorum conspicua sunt, quorum ope variam et pro voluntate multiplicem cum aliis corporibus creatis communicationem ineunt. Inde non immerito geminas in animalibus vitas sibi proposuerunt physiologi; alteram cunctis corporibus organicis communem, vitam nempe organicam aut vegetativam; alteram animalibus propriam, nempe vitam animale vel sensiferam, quas inter vitas tamen etiam nullus certus atque determinatus limes. Quodcumque enim genus animalium tibi assumpseris observandum, phenomena semper reperies nonnulla partim vitæ vegetatiæ, partim sensiferæ tribuenda. Præterea fere in omnibus vita sensifera tantummodo sustentandæ vitæ

(1) Vid. CHARLES BONNET: Considérations sur les corps organisés, chap. XII. § CCIX; et Contemplation de la nature, partie III. chap. V.

Atque Fr. BLUMENBACHIIUS in opere suo de historiâ naturali sect. I. § 4.

vegetativæ inservit. Animal quodcumque, si sibimet ipsi commissum fuerit, suas cum cæteris corporibus relationes ad necessaria accurate accommodabit, nec eas ultra extendet. At solus in naturâ homo suum cum cæteris corporibus commercium multo ulterius extendit quam quidem individuae suæ salutis cura postulet. Nec quâ natus est regione, nec terrâ ipsâ continetur; per immensam rerum creatarum altitudinem ad ipsum creatorem sese attollit. Infinitâ et inexhaustâ semper æstuans cupidine cognoscendi, et viribus ingenii fretus ditat animum suum cognitionibus illis variis ac sagacissimis et, ut ita dicam, prope divinis.

Uti binæ series phenomenorum vitalium in animalibus observatæ fuerant, ita bini in iisdem ordines proprietatum vitalium analysi innotuere. Prior continet proprietates vitæ organicæ, contractilitatem nempe et sensibilitatem organicas; quæ vitæ vegetativæ præsumunt et textui cuicumque viventi inhaerent. Proprietates vitæ sensiferæ sunt contractilitas et sensibilitas animales, quæ in statu sano non nisi in textibus vitæ sensiferæ adscriptis observantur.

Sensibilitatem animale nihil aliud esse nisi sensibilitatem organicam auctam in majus et perfectiorem, statuere physiologi nonnulli et ipso BICHATO fortasse non invito (1). De quo autem dubitare licet.

Quamquam enim in dubium non sit revocandum, organa omnino destituta sensibilitate animali vim interdum exercere in animum, ita ut hic vel voluptate vel dolore afficiatur; has tamen impressiones non censeo adscribendas generi illarum quibus externa nos afficiunt. At de his fusius dicam, cum de mutuo vitæ vegetativæ cum vitâ sensiferâ vinculo, oratio nobis erit.

Caloricitatem tanquam proprietatem vitalem habuerunt multi physiologi, inter quos eminent doctus professor VERBEECK. Quam opinionem eatenus tantum bonam et veritati consentaneam esse arbitror, quatenus calor occulta corporum qualitas habeatur. At si caloricum putes esse materiem, calorificatio functio erit, demonstrante BICHATO (2). Quam opinionem confirmare mihi videntur, quæ de calore novissime locum habuerunt experimenta physica.

(1) Recherches sur la vie et la mort, art. VII. § 3.

(2) Anatomie générale, première partie, article: systèmes capillaires, §. IX.

 PARS I.

De relationibus quibus homo cum reliquâ naturâ connectitur.

Antiqui physiologi hominem a cæteris rebus quasi sejunctum considerantes parum curabant externa in naturam ejus agentia, sed immerito. Verum quidem est medicos, cum morbos sanarent, attentos fuisse ad anni tempestates et ad locos, ubi jacebat æger; sed admodum imperfectam scientiam habebant rerum in nos valentium, quas nondum in varias classes redegerant, et quarum diversæ actiones pro diversâ earum naturâ nondum investigatæ fuerant. Et re ipsâ quomodo hoc facere potuissent? Scientiarum physicarum et præsertim chimie vix aliquam cognitionem habebant, proprietatum autem vitalium nullam. Præterquam quod inscii erant virtutum quibus in nos valent res externæ, adeo adhuc sympathiis leviter erant imbuti, ut facile intelligamus physiologiam tunc temporis totam fuisse in explicandis utut et disjunctim quibusdam functionibus. Sed nunc adest ævum quo multa in physiologiâ meliora fient. Nunc omnes medici, omnes physiologi veritatem avidè omni modo indagant duce bonâ philosophiâ. Et quandonam e vulgari turbâ emicant homines illi prope divini qui longos seculorum errores exigunt et veritatem arripiunt quasi suam? Tum profecto, cum omnes ardent æstu ingenii et inexplebili cognoscendi cupiditate.

Si vero hominem cum reliquâ naturâ comparamus, considerari potest vel vita animalis vel vegetativa. In priori casu exponendum esset quomodo ideæ nostræ se evolvant, quod non ad rem medicam pertinet. Tantum igitur posteriori adhærebimus.

Corpora viva ipsâ proprietatem vitalium vi, legibus physicis se subtrahunt. Connectuntur tamen cum cæteris rebus duplici modo: 1^o eorum in has actione; 2^o harum actione in corpora viva.

CAPUT I.

De actione corporum vivorum in naturam physicam.

Corpora viventia necessario perirent nisi ad conservationem uterentur rebus circa se positis. Etenim ipsorum est se indesinenter componere et resolvere. Necesse igitur est ut reperiant substantias compositioni suæ idoneas, quas suas faciant. Itaque materies, licet naturâ suâ legibus physicis subjecta, interdum tamen has leges exiit ut in corporibus vivis proprietates vitales induat. Hæc est actio generalior, quam vita in corpora terrestria inorganica exercet. Præterea notatu non indignus est singularis ejus modus agendi in aërem atmosphericum. Animalia actu respirationis absorbent principium oxygenium, exhalant autem acidum carbonicum. Contra vero plantæ acidum carbonicum absorbent et effundunt foliis gaz oxygenium. Quâ oppositione fit ut compositio aëris eadem maneat.

Ex his infertur non vanam esse corporum viventium vim in materiem circumfusam. Attamen tot sæcula nec minimam legibus physicis mutationem intulerunt. Hoc non mirum videbitur, si reputaveris materiem inorganicam ab omni vitæ actione esse immunem tamdiu, quamdiu extra corpus vivum posita sit. Si autem organicâ compositione quædam materiæ partes legibus physicis subtrahuntur, decompositionis econtra motu æqua ferme quantitas ad hasce leges denuo reducitur. Inde fit ut mundum universum contemplanti senectutis aut destructionis nedum idæa occurrat. Omnia ibi æterna videntur. Mundus est et adhuc erit qualis fuit ipso creationis die.

CAPUT II.

De actione naturæ physicæ in corpora viva et præsertim in hominem.

Multo majorem vim exercet natura physica in proprietates vitales. Qui inde redundant effectus notatu multo digniores sunt.

Inter externos organisationis *modifacores*, alii solidorum compositioni continuo inserviunt v. g. aër et alimenta; alii efficaciter quidem in nos agunt, minus tamen compositioni utiles videntur. Horum numerus est major et actio cognitu longe difficilior.

Priores pro suâ diversâ naturâ diversos organismo modos imprimunt. Quis enim neget hominem variis aëris et alimenterum qualitatibus varie affici? Deinde tamen ipsi suâ vice a legibus vitæ modos accipiunt. Posteriores contra, quamvis in nos agant, in eodem ferme statu manere videntur. Gravitate adhæremus solò, cui innixi de loco in locum vadimus; aër respirationi inserviens simul pressione in nos agit; lumine stimulantur retinæ et reliquæ corporis partes, homo enim sicuti vegetabilia tabescit in tenebris; constans caloris actio ad salutem corporum vivorum adeo necessaria est, ut natura benigna caloris fontem perpetuum in nobismet ipsis collocavit. Quinetiam in nos cælorum vis maxima. Quod comprobatur actione lunæ in hydropicos. Quantum porro mutantur hominis et animalium in variis anni tempestatibus natura et indoles. Præterea si attente consideramus actionem substantiarum, quas in corpus nostrum introducimus vel cuidam cutis parte applicamus, innumeri adhuc occurrent organismi *modifacores*, qui tamen nutritioni inservire non possunt. Quod patet ex medicamentorum historiâ. Id est notatu dignissimum, naturâ nempe institutos fuisse consensus constantes hos *modifacores* inter et varia nostra organa. Quocumque enim modo in corpus nostrum fuerint intromissa, semper opium in cerebrum aget, tartarus stibiatus in stomachum, cantharides et cuncta diuretica in renes et vesicam urinariam, aloë in intestinum rectum etc.; ita ut data nobis a creatore videatur facultas hoc vel illud organum nostrum ad libitum moderandi. Accuratâ multorum horum *modifacorum* cognitione omnis therapeutice nititur.

Ex his omnibus sequitur classem illam corporum naturalium, quæ in nos agunt, nullam vèro actionem ipsa patiuntur, abundantissimam esse, eamque multis generibus variam. Alia etenim agunt in nos distantes, veluti terra, veluti cælum et nonnulla forsitan imponderabilia. Cætera non valent nisi corpori applicata, sive latam occupent superficiem,

ipsamque totam corporis molem penetrent: veluti calor, lumen, aër atmosphericus etc., horum actio necessario generalior est; sive circumscriptas occupent superficies, veluti maxima medicamentorum pars, quorum actio nunc tantum topica est; nunc totum per corpus aut saltem ad organa distantia ope sympathiarum et circulationis diffunditur.

Immensa illa vis naturæ physicae vitæ sustentandæ omnino necessaria est; si tolleretur, non solum nutritionis et respirationis, verum etiam excitationis defectu, nobis esset pereundum. Etenim excitatione modicâ viget actio proprietatum vitalium. Excitatio hæc fluidorum circulationi et ipsi functionum exercitationi, at multo magis actioni causarum externarum debetur.

Corporum omnium in nos actionem solummodo augeri vel imminui posse sustinet cl. BROUSSAIS, duce celeberrimo BROWN. Quæ opinio si vera esset, omnes omnino morbi in duas reduci possent classes majores, quarum altera sthenicos, altera asthenicos contineat. Usu autem atque experientiâ constare videtur, corpora nonnulla proprietatibus vitalibus modos imprimere quosdam singulares, quos accurate definire nequeas. Hac de re tibi dubium nullum erit, si multorum *modifactorum* actionem in unum idemque organum v. g. in renes observaveris. Post potum multum aquosum, urina limpida est et copiosa, post assumptas cantharides copiosa est sed rubicunda et quandoque sanguinolenta, post usum terebinthinæ urina etiam copiosa est sed simul violas olet. In tribus his casibus actio renum aucta est, quia urinæ secretio major fit; sed simul singulos aliquos modos acceperunt, unde urinæ qualitates variæ.

Hanc tantum ante oculos habentibus vim maxime variam corporum circumstantium, in mentem venire deberet phænomena vitæ vegetativæ continuis esse obnoxia mutationibus. Vulgo tamen variis in organis proprietatum vitalium rythmus idem manet. Harum nempe proprietatum proprium est redire semper ad rythmum primitivum; quâcumque causâ sint actæ in contrarium. Sed si tanta est illa vis externa, ut non extemplo ad rythmum naturalem redire possint, tunc observantur phænomena singularia, quæ morbum constituunt. Si proprietates ad rythmum primitivum redeunt, phænomena hæc evanescent, et sanatio est perfecta. Extingui potest vita, vel vi *modifactoris* externi, vel nobilitate

organi in quod agitur, aut si morbo jam existente nova causa accedit mala. Hic fons mortium accidentalium. Homo in societate vivens plurimis morbis obnoxius est, quia innumeræ sunt et rapide variant ejus relationes cum rebus circumfuis. Plantæ hærentes solo, ubi natæ sunt, parum variabiles habent relationes; inde morbi earum rarissimi. Sed cum quidem *modifacitores* externi nullo modo proprietates vitales alterant, hæ tamen tandem exhauriuntur; unde mors naturalis. Natura vivens omnis morti obnoxia est; nihil temporis vastationes morari potest.

PARS II.

De relationibus quibus omnia corporis humani organa sibi invicem connectuntur.

Ut functio quæcunque rite perfici possit, organa omnia, quæ huic functioni inserviunt, intimâ connexionem inter se copulentur necesse est; ita ut actiones eorum variæ accurate componantur, et ad eundem finem ducant. Observemus digestionem. Internâ sensatione ad alimentorum assumptionem et deglutitionem impellimur et quidem cogimur. His constat vinculum quoddam arctum existere vitam sensiferam inter et vegetativam. Vinculum hoc instinctus vocatur. Hic referri debent sensationes omnes internæ quæ a vitâ vegetativâ ad animum nostrum perveniunt, v. g. sitis, fames, dolor, voluptas et animi pathemata.

Sed ut digestio perficiatur, confluunt copiosius fluida varia, saliva, succus gastricus, bilis, etc. Cur porro glandularum illarum actio simul augetur? Unde tanta harmonia? Existunt ergo adsociationes quedam præstabilitæ inter organa vitæ vegetativæ seu potius inter horum organorum proprietates vitales. Hic referuntur sympathiæ, quæ omnes de

suâ naturâ ad vitam vegetativam pertinent (1). Earum vestigia primam jam in regno vegetabili conspici possunt.

Eadem harmonia reperitur inter varia acta vitæ sensiferæ. Cum vero dissertatio de animâ rationali ad philosophiam omnino pertineat, tantum de præcedentibus duabus relationum generibus hic tractabo, præcipue vero de sympathiis, quarum scientia maximi momenti in re medicâ est.

CAPUT I.

De relationibus vitam sensiferam inter et vegetativam.

Nunc uni tantum sed varie moderato principio, nunc tribus diversis principiis tres illos relationum ordines retulerunt physiologi et metaphysici. Cum autem causarum primarum naturam investigare nobis non liceat cumque tres effectuum ordines observemus, tres etiam causas diversas propter simplicitatem simul et propter facilitatem admitto.

Sensationes omnes internæ referri possunt ad principium unum scilicet ad instinctum. In statu sano necessariis omnibus vitæ vegetativæ provident nostrumque animum impellunt ad actus qui omnes ad individui salutem et ad speciei propagationem spectant. Sensu interno ad primum respirationis actum cogitur neonatus; dein impellitur ad disquirendam matris papillam. Sensu quodam interno distinguit quodque animal alimenta quæ ipsius naturæ et fabricæ apta sunt. Sensus talis internus timidæ matris animum ita excitat, ut prolem defensione mortis periculo impavide se committat.

Homo animâ suâ rationali, cætera animalia instinctu magis reguntur. Quoties nimirum agimus invitis naturæ impulsionibus? Quoties salutis nostræ ipsi obsumus?

(1) Oriuntur quidem sympathice contractiones in museulis vitæ sensiferæ. Sed cum contractiones hæc ne minime quidem a voluntate pendeant cumque a solâ irritatione sympathicâ textûs cerebri aut nervei nascantur, non repugnat hoc phenomenon nostræ sympathiarum definitioni. Nam in hoc casu sympathia consistit in irritatione secundariâ textûs organici. Irritatio autem omnis ad vitam vegetativam referri debet.

In statu sano vitæ necessariis optime providet instinctus. An etiam in morbis tutus organismi moderator? Hæc de re medici non consentiunt. Fere in omnibus morbis sensationes internæ aliquo modo mutantur. Mutationes hæ nonnunquam ad restituendam sanitatem conducunt, aut saltem ad vitam per tempus quoddam prorogandam. Cum aër atmosphericus ad pulmones non libere penetrat, respirandi necessitas magis magisque sentitur, et, ut pectoris cavum dilatetur, omni ope atque operâ entimur. In febribus inflammatoriis sitis fervida certe ad salutem ducit. Hæ tamen sensationum internarum mutationes non semper tantam utilitatem præbent, imo nonnunquam saluti adversari videntur. In aliquibus stomachi morbis fames insatiabilis ægrum cruciat, alimentorum autem pondere morbus ingravescit. In morbis nonnullis, præcipue cum ægri jam convalescunt, immoderatâ cupidine venereâ sæpe torquentur, si autem impulsioni huic nimis indulgent morbus nonnunquam fit recidivus.

Oboriri etiam possunt sensationes internæ aliquæ peculiare sed fugaces in organis fere omnibus quanquam nullius sensus interni sedes naturales sint. Sunt scilicet sensationes doloris, voluptatis et animi pathemata. Hæc in organis vitæ vegetativæ primam suam sedem habere, uberrime et, ut solet, ornatissime demonstravit cl. BICHATUS (1). Doloris sensationem ad sensibilitatem animaleam subito abortam retulerunt quam plurimi physiologi. Minime tamen accurata mihi videtur hæc sententia. Ad sensibilitatem animaleam non magis pertinet dolor quam sensationes famis et sitis. Nos enim non ducit ad cognoscendas rerum externarum qualitates; indicat tantum statum partis dolentis non naturalem. Sunt partes quæ sub omnibus fere læsionibus omnino insensibiles manent, sed ubi dolor ingens oritur, cum in eas modo functioni earum directe opposito agimus. Sine dolore ullo tendinem pungere et quidem secare possumus; distorqueatis eum, statim horrendi clamores atrocem dolorem indicant. Sub hoc respectu dolores considerari possunt tanquam vigiliæ quas natura omnibus animalium partibus dedit ut de præsentia quarundam causarum nocentium monerentur. Attamen non semper tanquam tutus moderator dolor haberi debet, ut et, duce voluptate, non tute semper

(1) Recherches physiologiques sur la vie et la mort. Art. 6 § 2.

indicantur causæ benefacientes. Dolor tamen et voluptas necessario poni debent inter sensationes internas. Pertinent ergo ad instinctum.

Ex præcedentibus patet quantum sit imperium vitæ vegetativæ in vitam sensiferam. Quam plurima animi acta ex visceribus oriuntur. Sed quomodo fiunt hæ communicationes? An ope nervorum quibus viscera cum cerebro junguntur? Hanc opinionem multi physiologi sustinent. Et reverâ nonnulla experimenta ei favere videntur; alia tamen ipsi adversantur. Dum digitus paronychiâ laborat, resectis aut valde compressis nervis ad digitum hunc vergentibus, dolor nonnunquam cessat aut saltem immittitur. Prosopalgiam sæpe sanat sectio nervi supra vel infra orbitalis. Remedium tamen hoc non semper succedere videtur. Præterea quomodo rationem reddere possemus de maximis illis tendinum doloribus? Nec minimum quidem nervorum vestigium in tendinibus huc usque conspicere potuimus. Adhuc repugnat illi opinioni experimentum directum. Refert cl. BEGIN (1) nervos vagos ambo secatos fuisse in equos et canes huic experimento selectos. Vixerunt adhuc aliquot diebus; fames et sitis perstabant, sed digestio omnino erat interrupta. Manducârunt donec stomachus et œsophagus omnino fuerint repleti. Parisiis servantur adhuc alimenta hæc siccata quæ stomachi et œsophagi formam accuratam præ se ferunt, Perstabant ergo sensationes internæ sine directâ viscerum cum cerebro communicatione. Remanebat tantum communicatio indirecta ope nervi sympathici magni. Nondum ergo omnino comprobatum est sensationes internas ope nervorum ad cerebrum transmitti.

CAPUT II.

De relationibus quibus partium proprietates vegetativæ invicem connectuntur; seu de sympathiis.

Multo numerosiores sunt sympathiæ quam actus instinctûs, et earum accurata cognitio pro medico practico etiam multi majoris momenti est.

(1) Principes généraux de physiologie-pathologique, d'après la doctrine de M. BROUSSAIS, par J. L. BEGIN, chap. II. § 2. pag. 62.

De sympathiarum causâ generali theoriam integram exhibere non consultum duco. Tanta enim est sympathicorum effectuum varietas ut optima quidem interpretatio non ab omni objecto immunis sit. Facilius tamen sustinetur et naturæ magis congrua est opinio eorum qui putant nervos esse sympathiarum ductores. Sed relationum harum celeritas inter organa quorum nervi tantum indirecte et mediis multis gangliis communicant; earum efficientia cum nascuntur ex organis, quæ nervis omnino destituta videntur, multitudo sympathiarum et plurima facta singularia hanc opinionem non parum infirmant. Inter quæ facta solummodo sequens referam. Cum digitus gravi paronychiâ laborat, resectis seu compressis nervis ad digitum vergentibus nonnunquam, ut dixi, dolor cessat. Cessat adhuc superveniente somno. Attamen facies magis et magis rubet quâ proportionem inflammatio augetur: omnia symptomata denotant augmentum motûs organici sympathicum in vasis capillaribus faciei. Hæc autem symptomata resectis nervis aut superveniente somno non imminuuntur. Præterea sympathiarum vestigia jam in plantis observantur; quæ tamen systemate nerveo non instructæ sunt. Sympathias ergo systemate nerveo non indigere admodum probabile est. Sed medicorum ordinario parum interest scire utrum sympathicæ relationes ope textûs proprii fiant necne; et si quidem corporeos ductores sympathiæ haberent, vim tamen communicandi tanquam primariam naturæ legem habere deberemus, et hanc legem accuratis observationibus in statu sano et morbo factis investigare. In genere multo utilius mihi videtur leges perscrutari quæ phenomeno alicui vitali præsentantur quam modum mechanicum indagare quo phenomenon hoc perfici possit.

Recentiores physiologi sympathias diviserunt in positivas et negativas prouti organum affectum in organo alio eosdem quos experitur modos seu modos directe oppositos excitat. In omni vegetativo phenomeno, immediatâ vel sympathicâ causâ producto, semper sensilitas organica primas partes agit. Quod luculentissime BICHATUS demonstravit (1). Atqui sensilitas hæc modis innumeris mutari valet. In eo igitur peccat divisio illa quod affectiones omnes quascunque in duas tantum classes dis-

(1) Anatomie générale, considérations générales, § 2.

ponat, in sthenicas scilicet et asthenicas. Quam falsa sit hæc palmaria BROWNI et cl. BROUSSAIS assertio jam demonstravi cum de naturæ physicæ in corpora organica actione locutus sum.

Sympathias in activas et passivas dividere, uti fecit BICHATUS, tum solummodo utile est cum earum historiam secundum systemata corporis organica tradere volumus. De iis autem generatim tantum disserturus solam earum divisionem in physiologicas et pathologicas necessariam duco.

Vigente sanitate sympathiæ proprietatibus vegetativis diversarum partium invicem uniendis inserviunt, ut functionum perfecta redundet harmonia. Exinde liquet centralia organa, ubi sedes functionum vegetativarum resident principales, crebriores etiam sympathias physiologicas exercere. Quod eximie notandum occurrit in visceribus digestionis subministrantibus. Inter omnia enim organa numerosis sympathiis ventriculus insignitur. Nostrates tamen francogalli physiologi, inter quos nunc præsertim inclarescit celeberrimus BROUSSAIS, vices huic uberiores forsitan assignarunt. Utrum enim sympathia aliqua e stomacho aut ex alio abdominis viscere emanet sive secus, id sæpe distinctu difficile. Etenim illas antea hepatis adscripserunt sympathias, quas hodiedum ventriculo. Diutius adhuc systematum auctores, suæ doctrinæ stabiliendæ causâ, caligine utentur, quâ huc usque aliquot physiologiæ partes circumvolvuntur.

Sympathiæ physiologicæ duntaxat inter organa vitæ vegetativæ dicata locum habere videntur; fere nullas in statu sano organa vitæ animalis accipiunt sympathias, nisi pro talibus habeas actus instinctivos, sensationibus internis productos.

Pathologicæ sympathiæ variam admodum indolem induunt. An physiologicæ duntaxat in majus auctæ eas constituunt? An novæ contra, organo morbide adfecto, procreantur sympathiæ? Posterior sententia magis mihi videtur veritati adfinis. Nam abnormibus cujuscumque organi proprietatibus vegetativis, harum relationes cum cæterorum organorum proprietatibus vitalibus penitus mutantur: quin relationes novas nasci posse experientia docet. Sæpe enim organa duo statu sanitatis nullâ fere adsociatione conspicua, arctissimo vinculo intra morbos conjunguntur. In arthritide v. g. summa sistitur sympathia phalanges inter et ventriculum.

Unum tamen argumentum priori opinioni favere videtur. Organa nempe, quæ plurimis sympathiis gaudent physiologicis, plurimas etiam habent pathologicas. Id autem exinde deducitur quod hæc talibus organis functiones summi momenti vegetativæ demandentur, atque eatenus arctiores cum reliquo organismo connexiones eis impertiantur tum normalitate sanitatis, tum abnormitate.

Sympthiarum pathologicarum doctrina maximi in re medicâ momenti est. Quamdiu medicis quasi ignota fuit, in tenebris empiricæ medendi methodi pede claudo processum est. Si totam suam olim consecuta fuerit evolutionem, ad gradum scientiarum positivarum ascendet medicina. Et reverâ quivis morbus sub datis symptomatibus procedit. Si morbus externus est, symptomata à locali affectione unice pendere possunt, et idiopathica sunt; dum autem signa morbida in parte apparent, in quam nulla manifesta egerit causa, symptomata necessario sympathica habenda sunt. In paronychiâ v. g. digitus tumet, rubet, calet etc. en idiopathica signa; si eodem tempore nonnullæ cavitatis axillaris glandulæ intumuerint, symptomatis sympathici id præbebit exemplum. Atqui hæc posterior symptomatum species quam frequentissime grassatur; sola tantummodo talia veniunt observanda in morbis gravibus in quibus viscera interna idiopathice adficiuntur. Pathologicarum igitur sympathiarum indagandâ doctrinâ præcipue nititur medicina practica; absque enim earum cognitione nec sedes mali inveni, nec malum audactâ manu auferri valet. Antiquiores medicos sympathiarum doctrina fere omnino fugiebat. In omnibus ferme morbis nihil animadvertabant, nisi symptomatum cæteram; absque eo quod sedem morbi accurate assignare possent. Quum symptomata generalia essent, rapideque cursum absolverent, morbus febris nomine insigniebatur. Februm tamen numerus sensim decrevit in tantum, in quantum introspicerentur in morbis sedes singulares, ex quibus symptomata, quotquot sint, enascantur. Hodiedum v. c. febris catharralis vel ab omnibus medicis habetur tanquam gravis cujuscunque mucosæ membranæ irritatio cum adfectione sympathicâ diaphragmatis, cordis, cutis etc. sic tussis, vespertinæ horripilationes, pulsum acceleratio, sudor matutinus etc. sicuti effectus sympathici relinquuntur, ut summopere ad debellandam adfectionem mucosam curas integras na-

venus. Agimus duce ratiocinio; multis et repetitis tentaminibus aliquando eundem finem consequantur antiquiores. Sæpius vero morbum naturæ viribus committere cogebantur, nocentes tantummodo causas arcendo. Bonus tamen frequenter erat exitus ratione sententiæ supra enunciatae, quod nimirum proprietates vitales, nisi nimium fuerint adulteratae, ad recuperandum rythmum naturalem semper propendeant. A plurimis hodiernis medicis vel maximi faciendis sat magnus adhuc febrium numerus admittitur. Ex solâ opinionum varietate, quas varii de febribus *essentialibus* scriptores protulerunt, satis constat quantum morborum illorum huc usque nos prætereat natura. Remediis experientiâ comprobatis jugulantur. Sed variis temporibus remedia naturâ suâ opposita æque prædicata sunt. Optime de re humanâ mereretur qui exactam talium morborum sedem ac naturam demonstraret; cura fieret simplex, vicens, et tuta. Hactenus tot fere sunt opiniones quot medici. Omnes tamen in duas classes ordinari possunt. Alii enim credunt symptomata omnia pendere a quâdam adfectione idiopathicâ systematis alicujus generalis. Cujus doctrinæ sectatores eandem instituunt curationis methodum ac veteres practici fide et reverentiâ dignissimi. Inter præstantiores, qui hanc doctrinam profitentur, laudandi sunt cl. viri professores clinici VAN ROTTERDAM, et PINEL, ut et fere omnes Germaniæ scriptores medici, uti cl. JOSEPHUS FRANK, CURT. SPRENGEL, etc. etc.

Alii in hisce morbis sedem localem atque circumscriptam denotant, omniaque symptomata sympathiis peculiaribus attribuunt. Circumcirca igitur illud punctum locale localis versatur cura, quæ toto cælo ab illâ antiquorum discrepat. Hæc opinio præcipue apud Italiæ et Galliæ medicos civitatem adeptæ est. Quos inter medicos duces incedunt cl. TOMMASINI in Italiâ, cl. BROUSSAIS in Galliâ. Ambo febrium *essentialium* sedem et naturam in inflammato stomacho et intestinis tenuibus ponunt; ad hanc tamen inflammationem debellandam curâ valde oppositâ utuntur.

Institutâ de causâ sympathiarum generali, earumque diversis divisionibus dissertatione, superest ut nunc earum studium parum propius aggrediamur.

In quâcunque sympathiâ veniunt consideranda 1° punctum quo oritur, 2° modus adfectionis quem subit organum secundariæ affectum.

Ex quovis organo actiones sympathicæ nasci valent: eo tamen facilius, quo magis vitâ vegetativâ organum viget et quo magis irritatur. Primum ergo locum tenent ventriculus, hepar, pulmo, cutis etc.

Quando organum aliquod sympathice afficitur, proprietates vitales in eo potentiores in actum ducuntur, si sympathia fuerit physiologica; modos accipiunt, si fuerit pathologica. Pars sympathiâ aliquâ morbide affecta alterationem quandoque subit notabiliorem, quam quidem organum primarie læsum. Sic postquam cutis momentaneæ actioni frigoris exposita fuerit, graviores quandoque nascuntur pulmonis, intestinorum etc. inflammationes. Organum sympathice morbidum adhuc aliam partem afficere valet; quæ tunc sympathia secundaria salutatur. Aliquando pars ægotans sive irritata producit in parte aliâ sensationem internam sive doloris, sive pruriginis, sive alius generis absque eo quod in textu organico hujus partis manifesta alteratio evolvatur. Sic oriuntur dolores ad scapulam dextram in hepatitide, ad regionem epigastricam per calculum biliarem canali choledoco inhærentem, ad glandem per calculum vesicalem.

Sub statu sano sympathice non adficiuntur organa vitæ animalis. Sævientibus autem morbis sæpius systema nervosum sympathiæ adoriuntur. Sic amaurosis, convulsiones, subsultus tendinum a vermibus in canali intestinali nidulatis quandoque gignuntur. Quæ phænomena id præ se ferunt cum actibus instinctûs commune, quod actione vitæ animalis producantur, sed ab eis in hoc discrepant, quod voluntatis imperio omnino sese subducant et tantum sub organicâ irritatione nervorum et cerebri nascantur.

An sympathicæ actiones semper reciprocæ habendæ sunt? Plurima observata hoc denegare videntur. Plagas capitis sæpius insequuntur hepatis alterationes. Laryngi et posterioribus cavitatis oralis partibus ab organis genitalibus præcipue ad pubertatem modi miri imprimuntur. In hisce casibus veluti in aliis multis inversum haud consecarium est.

Ququam maxima sympathiarum copia sine manifestâ causâ locum habeant; attamen nonnullarum frequentia ab aliquot circumstantiis pendere videtur; ex quibus cl. BARTHEZIUS pro sympathiarum historiâ sat

expeditam divisionem hausit. Quæ organa frequentissime sympathiâ inter se communicant, sequentia sunt :

1° Quæ magnam suorum nervorum copiam ab eodem trunco accipiunt; v. g. cor, pulmo et ventriculus.

2° Quæ similia sunt, uti oculi bini, pupillæ binæ, amygdalæ, renes.

3° Quæ ad eandem functionem spectant, uti stomachus, duodenum, hepar. Quod sympathiarum genus speciali nomine synergiarum insignivit BARTHEZIUS.

4° Quæ ad idem systema pertinent. Paralysis retinæ post sectionem ramuli frontalis nervi ophthalmici; hemorrhagia critica sæviante phlegmasiâ; œdema pedum sub anasarcâ pulmonum, abscessuum metastases, exempla præbent sympathiarum quæ inter diversas partes systematis nervosi, sanguinei, et cellularis locum habent.

5° Quæ integram et a visceribus vicinis sejunctam continuitatem præ se ferunt; uti tubus digestivus. Quum plaga intestino tenui infligitur, tali quandoque corripitur atoniâ ventriculus ut alimenta nullâ elaboratione subacta per vulnus integra protrudantur. Ventriculi irritatio impedit quandoque quominus deglutitio peragi possit.

6° Quæ tandem tela cellulari et aliquot filamentis vascularibus atque nervosis uniuntur, uti extremitas intestini recti et vesica urinaria apud virum. Ischuria sæpe tenesmum producit et vice versâ.

Fusius jam nunc de his tractare deberem, sed arctioribus dissertationis inauguralis limitibus contineor. Hæ autem propositiones ultimæ optime explicatæ reperiuntur in pulcherrimo opere cl. BARTHEZI de scientiâ hominis.

TANTUM.

POSITIONES MEDICÆ.

I.

Cum mamma vero squirrho laborat, ope hirudinum, uti *sustinent BROUSSÆI* sectatores, adhuc resolutionem fieri posse negamus.

II.

In hydrope acuto venæsectiones sæpe frequentiores esse debent quam in plurimis phlegmasiis, ratione tamen habitâ ad ætatem et subjectum. Hoc ex clinicis nostris observationibus constare videtur.

III.

Ad operationem cataractæ methodus depressionis ab immortalis SCARPA emendata methodo extractionis anteponenda.

IV.

In cadaverum a typhodibus morbis exstinctorum autopsiâ membranâ mucosam ventriculi et intestini tenuis inflammatione correptam sæpe vidimus; hanc inflammationem secundariam esse, et a remedium nimie stimulantium in ventriculum introductione, dum sensibilitas ipso morbo aucta est, sæpe pendere posse suspicamur.

*Vidi et nil quod Academicæ Legibus
adversetur reperi*

J. C. VAN ROTTERDAM, Decanus.

Gent, Med. Diss., 1822-24

ULB Halle


3

003 756 53X



TA-70L

714 K.V.



DISSERTATIO

CO-MEDICA INAUGURALIS

DE

*quibus organa nostra inter se, et
quibus circumfusis connectuntur,*

QUAM,

REVERENDO SUMMO NUMINE,

AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

M. AEGIDII VERBEECK,

Doctoris, Anatom. et Physiolog. Professor. ordin.,

NEC NON

DECRETIS FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

ADU DOCTORATU^A,

IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

ACADEMIA GANDAVENSI,

AC LEGITIMÈ CONSEQUENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET

Hubertus Gabry, Aquisgranus,

Julii MDCCCXXII, horâ XI^a.

APUD GOESIN-VERHAEGHE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,
VIA HOOGPOORTE N^o 37.

1822.

